

www.e-rara.ch

Sebastiani Castellionis Dialogorum Sacrorum Libri Quatuor ...

Châteillon, Sébastien

Basileæ, 1720

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-105847>

Decem Dei Præcepta, Et alia deinceps sequentia, Quæ Ad Reipubl. Institutionem pertinent,
Ex Exodi cap. 20. & reliquis

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



DECEM
DEI PRÆCEPTA,
Et alia deinceps sequentia,

Quæ
AD REIPUBL. INSTITUTIONEM
pertinent,

Ex Exodi cap. 20. & reliquis.

DEUS hæc omnia Israelitis ad hunc modum effatus est. Ego sum Jova Deus tuus, qui te eduxi ex domicilio servitutis Ægyptiæ.

Deos alios nullos, præter me habeto. 1.

Simulachrum ullius rei, quæ extet aut suprâ in coelo, aut infrâ in terra, aut in aquis sub terra, ne facito, neve ea venerator, neve colito. Nam ego (1) sum Jova Deus tuus, Deus impatiens focii: 2.

Dd 3 qu:

(1) Abest sum à Med, quæ omisso etiam seq. qui ita connectit; orationem: ego Jova D. i. s. par. c. e. in l. persequor.

qui parentum culpam etiam in liberos
persequor, (2) vel ad tertiam usque,
quartamque stirpem osorum mei : cle-
mentiaque utor ad millesimam usque
stirpem erga mei amantes, meaque præ-
cepta conservantes.

3. Jovæ Dei tui nomen inaniter ne ad-
hibeto : neque enim finet impunitum
Jova, qui ejus nomen inaniter adhi-
buerit.

4. Diem Sabbati sanctè agere memen-
to. Sex diebus agito, tuaque opera
omnia patrato. Septimo autem die,
quod Jovæ Dei tui Sabbatum est, nul-
lum opus facito, neu tu, neu tuus filius,
aut filia, neu tuus servus, aut ancilla,
neu tuum jumentum, neu apud te de-
gens peregrinus. Nam cùm sex diebus
fecisset Jova coelum, terram, mare,
quæque in eis sunt omnia, feriatuſ est
die septimo : qua de causa (3) diem
Sabbati faustum sacrumque (4) fecit.

5. Parentem utrumque (5) honorato,
ut diu ætatem producas in terra, quam
tibi Jova Deus tuus donat.

Ne

(2) Med. etiam ad pronepotes usque & abnepotes of. m.

(3) Med. hoc loco inserit Jova.

(4) Med. esse jussit.

(5) Med. observato.

- Ne hominem occidito. 6.
 Ne adulterato. 7.
 Ne furator. 8.
 Falsum testimonium contra alterum
 ne dicito. 9.

Alterius domum ne concupiscito: 10.
 alterius uxorem ne concupiscito: neve
 servum, aut ancillam, neve bovem, aut
 asinum: nihil denique, quod sit alterius.

Hic universus populus visis (6) fra-
 goribus, fulgetris, tubæ sonitu, &
 montis fumo, perterriti abscedere: &
 procul stantes, à Mose petere, ut ipse
 eis audientibus loqueretur, non Deus,
 ne morerentur. Quibus Moses: Ne
 metuite, inquit, nam ad vos tentandos
 venit Deus, utque vos ejus timor ob
 oculos propositus à peccando deter-
 reat. (7) Igitur, procul stante populo,
 accessit ad illam caliginem, ubi Deus
 erat. Et (8) Jova Mosi (9) sic fatus est:
 Commemorato Israelitis, ut me secum
 de cœlo viderint loquentem, ne præter
 me a deos sibi argenteos aut aureos

a Deorum
 simulachra.

D d 4 fabri-

(6) Med. pro hoc ponit: *sonitibus.*

(7) Med. *deinde.*

(8) Med. *Deus.*

(9) Hæc tria verba omittit Med. sed continuo supplet,
 interposito *inquit. Comm. inquit Isr*

fabricentur. Sed mihi cespitium altare fiat, in quo solida sacrificia & pro salute balantibus bubusve faciatis: quocumque in loco mei nominis monumentum posuero, ibi (10) vos auditorus, vobisque prosperaturus. Quod si mihi altare lapideum fiet, ne ex quadrato lapide (11) excitatote: nam id ferramenta admovendo (12) profanaretis. Neve per gradus ad meum altare (13) ascenditote, ne in eo (14) obscœna vestra appareant.

C. 12.
Lex servitutis.

Hæc autem eis jura propones. Si emeris servum Hebræum, sex annos servito: septimo autem anno manumittitor gratuitò. Si cœlebs venit, cœlebs manumittitor: si maritus, uxor cum eo manumittitor. Si dominus ei uxorem dederit, ex qua filios aut filias procreaverit, femina & nati domini sunt: ipse solus manumittitor. Quod si servus captus amore sui domini, & uxoris & filiorum, noluerit manumitti, eum dominus ad recuperatores adducito,

(10) Hic Med. præfert: *vobis subventurus & prosperaturus.*

(11) Med. *excitanto.*

(12) Med. *pollueretis.*

(13) Med. *ascendatur.*

(14) Med. *puđenda, extruso τῶν vestra,*

cito, eique ad valuum, aut ad postem applicato, aurem subula perforato, & ille ei perpetuum servito.

Si quis filiam suam vendiderit in famulatum, ea ne servorum in morem manumittitor. Si ea domino displicebit, nec is eam desponderit, redhibeto. In extraneam gentem emancipandi potestas ne esto, quia eam affecit ignominia, At si eam filio suo destinaverit, eodem jure cum ea, quo cum liberis, agito. (15) Si *a* aliam duxerit, hanc victu, vestitu, *b* congressu, ne fraudato. Si tria hæc ei non confecerit, manumittitor gratis sine precio.

a Scilicet præter eam.
b Scilicet maritali.

Qui hominem pulsaverit, si is mortuus fuerit, capitale esto. At qui non (16) captaverit, sed in eum fortè fortuna incurrerit, statuam vobis locum, quò confugiat. At si quis alterius necem per dolum (17) de industria machinatus fuerit, is vel ab ara mea ad necem abstrahitor. Qui

(15) Hanc totam sententiam haud paullo aliter proponit Med. Si alius sibi duxerit, victu, vestitu, donatione propter nuptias, ne eam fraudato. Nostra lectio, quæ ipsa Opor. edit. lectio, concordat cum Cast. Bibliorum Int. & adeo ejus postremam certamque mentis sententiam continet.

(16) Med. fuerit insidiarius.

(17) Non habet hoc de industria Med, ex.

Qui patrem aut matrem pulsaverit, capitale esto.

a Furatus fuerit.

Qui hominem *a* clepserit, eumque vendiderit, aut is apud eum inventus fuerit, capitale esto.

Qui patri aut matri maledixerit, capitis poena esto.

Si quis alterum orta contentione percusserit lapide, aut pugno, si ille non fuerit mortuus, sed in lectum decubuerit, si surrexerit, & foras baculo innixus iverit, percussor sine fraude esto, tantum illius *b* cubatum & medicationem praestato.

b Damn um quod ille a cubatu & medicatione accepit, refarcito.

Si quis servum suum, aut ancillam baculo percusserit, si praesens mors sequuta fuerit, tenetor. Verum si unum aut alterum diem superstes fuerit, ne tenetor, quoniam *c* pecunia eius est.

c Id est, ejus juris est, ut pote emptus.

Si qui dimicando mulierem gravidam (18) vulneraverint, & abortum intulerint, si perniciēs non fuerit, ad aestimationem mariti mulieris multa esto, & ad eam rem arbitri funto. *d* Sin autem perniciēs fuerit, vitam pro vita (19) pendito : oculum pro oculo, dentem

d Lex talionis.

(18) Med. percusserint.

(19) Med. reddido.

tem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, fugillationem pro fugillatione, vulnus pro vulnere, vibicem pro vibice.

Si quis servi sui, aut ancillæ oculum percusserit, eumque (20) corruperit, eum manumittito pro oculo. Et si servi sui, aut ancillæ dentem decusserit, eum manumittito pro dente.

Si quem bos virum aut foeminam cornu petiverit, & is mortuus fuerit, bos lapidator, ejus caro ne comestor, dominus bovis impunitus esto. At si bos antea fuerit petulcus, & ejus dominus admonitus fuerit, neque tamen custodiverit, si virum aut foeminam occiderit, & bos lapidator, & ejus dominus morte plectitor. Sin ei multa imponetur, tantum vitæ suæ precium dato, quantumcunque ei fuerit impositum. Sive puerum petiverit, sive puellam, idem juris esto. Si servum petiverit bos, aut ancillam, argenti triginta ficle domino solvuntor, bos dilapidator.

Si bos pul-
faverit,

(21) Si

(20) Med. *corripuerit*, sine dubio lapsu atque aberratione typos.

(21) Si quis fossam vel aperuerit, vel demiserit, nec obduxerit, & eo deciderit bos aut asinus, autor fossæ præstato; argentum domino illius solvito, ipse mortuum habeto.

Si cujus bos alterius bovem vulneraverit, & ille mortuus fuerit, bovem vivum (22) vendunto, & ejus precium dividunto; mortuum etiam dividunto. Aut si notum fuerit, bovem antea esse petulcum, neque eum dominus ejus custodiverit, *bovem bove pensato, ipse mortuum habeto.

* Vivum
bovem pro
illo reddito.
Furti pœna.
Cap. 22.

Si quis bovem, pecusve clepserit, mactaveritque aut vendiderit, quinque boves pro uno reddito, & (23) quatuor a balantes pro una.

a Oves aut
capras.

Si fur, in surripiendo deprehensus, ictus fuerit, & inde mortuus, homicidii pœna ne esto, nisi orto sole: tum homicidii pœna esto. Si habet, unde reddat, reddito: sin non habet, venditor pro suo furto.

Si deprehensum fuerit furtum penes eum

(21) Initium hujusce sententiæ planè aliter format in Med. ed. Castalio: *Si quis fossam demiserit; si quis scrobem deprefferit, quam non obduxerit, &c.*

(22) Med. præponit hic quoque copulam.

(23) Med. ponit quinque, sed manifesto mendo.

eum, bos, asinus, ovis, capra vivens, duplum reddito.

Si quis emisso pecore (24) compaverit fundum aut vineam alterius, damnum sarcito, de optima parte fundi sui, aut vineæ.

Si in spinas immissus ignis, metam, aut segetem, aut messem corruerit, auctor ignis detrimentum præstato.

Si quis apud alterum, argentum suppellectilemve deposuerit, idque de illius domo surreptum fuerit, si fur deprehensus fuerit, duplum reddito. Sin autem fur non deprehensus fuerit, tum dominus domus ad recuperatores vocator, ni rem alterius interverterit. Quacunque in re crimen statuetur, in bove, in asino, in ove, in capra, in veste, quæcunque res erit amissa, quæ cuja dicatur, causa amborum ad recuperatores defertor: utrum condemnaverint recuperatores, alteri duplum reddito.

Si quis alterius fidei asinum, bovem, ovem, capram, aut quodvis pecus commise-

(24) Hoc uno loco, sed nimirum in re planè manifesta à Med. ed. & ambabus Op. discessimus, pro *compaverit* ponendo *compaverit*, id quod sane etiam est in Latina Bibl. Interpretatione Castalionis, quæ in tam evidenti veritate pro cunctis Dialogorum editionibus esse nobis debet.

Lex depofiti.

a Scilicet ruri ab abactoribus aut hoftibus.

b Scilicet domo.

miferit, fi id nullo vidente fuerit mortuum, aut fractum, aut a abactum, iurandum Jovæ interponitor, illum rem alterius ad fe non avertiffe; eamque fatisfactionem dominus rei accipito, neque fiduciaris rem reddito. Quòd fi ei b furto ablatum fuerit, damnum præftato domino rei. Sin raptum à feris fuerit, teftem exhibeto, neque raptum præftato.

Si quis quid ab altero utendum acceperit, & id fractum aut mortuum fuerit, domino rei absente, damnum præftato. At præfente, ne præftato, fi conductitium, & precio addictum erat.

Raptus.

Si quis virginem non fponfam (25) pellexerit, & cum ea concubuerit, eam fibi in matrimonium dotato.

Si puellæ pater eam locare illi nolet, argentum pendito, ut fert dos virginum.

(26) Sagas vivere ne finitote.

Quicumque rem habuerit cum beftia, capitale efto.

Qui

(25) Med. deceperis.

(26) Med. aliter; Sagæ vita privanter.

Qui diis sacrificaverit, (27) sacratus
intereat, nisi uni Jovæ.

Peregrinum ne premito, neve angito : nam peregrini fuistis in Ægypto. Officia erga
inopes.

Viduam nullam, aut pupillum premito. Si prefferis, cùm ad me conquerentur, eorum ego querelas exaudiam, iratusque ferro vos trucidabo, eruntque vestræ coniuges viduæ, & liberi pupilli.

Si cui meorum pauperi tecum versanti pecuniam (28) mutuato dederis: ne te ei fœneratorem præbeto, ne ei usuram imposito.

Si alterius vestem in pignus acceperis; (29) ante solis occasum reddito. Nam id unum habet operimentum, eum cuticulæ amictum, in quo recubet: qui si apud me quæstus fuerit, exaudiam, ut sum misericors.

Magistratui ne maledicito.

Ne eum execrator, qui est in tua (30) natione princeps.

Fruges

(27) Med. *perimitor.*

(28) Med. *sicut jam supra in re simili mutuaveris.*

(29) Med. *ad occasum.*

(30) Med. *Republica.*

Officia erga
maiores.
Erga Deum.

Fruges & liquorem tuum ne aver-
tito.

Primogenitum filiorum tuorum mi-
hi dato.

Idem in bubus & balantibus facito.
Septem dies cum matre sua esto, octavo
die id mihi dato.

Præstatote vos mihi puros homines:
(31) & carnem ruri raptam ne gustato-
te, sed ad canes projicitote.

Cap. 23.
Officia erga
homines.

Auditionem falsam ne accipito.

Societatem cum impio ne coito, ut
sis testis injurius.

Multitudinem in vitio ne sequitor:
neve in lite de recto in sententiam
multitudinis deflectito.

Inopi in lite ne indulgeto.

Si (32) adversarii tui bovem, asinum-
ve offenderis errantem, ei reducito. Si
inimici tui asinum videris oneri succu-
buisse, ne ei auxilium denegato, sed
opitulator.

Inimici tui jus in lite ne depravato.

A re falsa abesto. Infontem & ju-
stum

(31) Med. omittit hoc &.

(32) Med. palantem.

stum ne interficito : nam ego iniquum non absolvam.

(33) *a* Neve donum accipito : nam donum cæcat etiam perspicaces , bonorumque virorum orationem pervertit. *a* Scilicet in lite.

(34) Peregrinum ne vexato : scitis enim vos , quæ sit mens peregrinorum , ut qui peregrini fueritis in Ægypto.

Sex annos arvum tuum conserito, Sabbatum. ejusque proventum percipito : at septimo intermittito , remittitoque ad cibatum egenorum popularium tuorum, & (si quid illis superfuerit) bestiarum (35) terrestrium. Idem in vinea & oliveto facito.

Sexdiebus opus tuum patrato : at septimo feriator, ut requiescat bos tuus, asinusque : utque respiret natus ancillæ tuæ, peregrinusque.

Omnia, quæcunque dixi vobis , servatote.

Nominis alienorum deorum memoriam ne usurpato, neve in ore habeto.

E e Tribus

(33) Med. Donum ne accipiro.

(34) Med. Peregrino injurius ne este.

(35) Med. agrestium.

Festi dies.

Tribus temporibus in anno mihi festa agito. Azymalia servato, per quæ septem dies azymis vesceris (ut præcepi tibi) statuto tempore mensis verni : quia in eo emigrasti ex Ægypto : ergo coram me vacui ne apparento. Item Messalia primitivarum frugum (36) operis tui, quas in agro severis. Item Conditalia in exitu anni, ubi tuas fruges ex agris condideris. Ter quotannis omnes tui mares in conspectum Domini Jovæ sistuntor.

(37) Cum meæ victimæ sanguinem; eam mactando, effundes, fermentum ne habeto.

Mei festi adeps in posterum diem ne pernoctato. Principium primitivarum frugum tui fundi in ædem Jovæ (38) tui inferito.


Hoedum in sanguine matris suæ ne coquito.

(36) Med. laboris tui.

(37) Med. aliter ista concinnat : *Meæ victimæ sanguinem in fermentum ne fundito.*

(38) Med. inferit : Dei.

FINIS.



DIA-